


QR. 340 12

Ze  
2600



EPITHALAMIA X 219379

*Scripta & dedicata*

SACRIS NYPTIALIBVS

ORNATISSIMI

VIRI IUVENIS, DN: JOANNIS  
SCHNITTERI,

SPONSI:

&

*Castissima & Honestissima Matrona*

CHRISTINÆ,

*Prudentissimi atq; Integerrimi Viri,*

DN. HIERONIMI WERNERI, CIVIS

*& Senat: apud Budiss: piè defuncti relicta*

*vidua: Sponsorum celebrandis*

AD

XXIX. Diem Junii, Cal. Nov  
à

Scholæ Zittanæ Alumnis

BIBLIOTHECA  
PUNICICANA




BUDISSINÆ

*Excudebat Nicolaus Zipserus.*

1609.

UNIVERSITÄTS-  
HALLE (S)  
BIBLIOTHEK



**A**ESTUS erat: largam surgentia sydera messem  
Suadebant: pallens campis arebat arista.  
Flava Ceres, Cereri nec quicquā obstabat olympo.  
Rusticus infectas multa ferrugine falces  
Innovat, exacuit, firmat, ligat accipit effert.  
Effert arma manu, lætus Cerealia: pergit  
Exercetq; frequens tellurem, atq; imperat arvis  
Falcibus: incumbit messi, movet impiger artus.  
Ferreæ fructiferisq; novacula mandat aristis.  
Formâ clarus erat MESSOR, florentibus annis,  
(Dixeris Euryalum, Jovis hunc vel conjugè natum)  
Nec minus ille animi fortis sua tecta relinquit  
Candida terga premit falx aspera: limite campum  
Perlustrat, lustrat, Cereris spes gaudia firmant:  
Nec tamen ille manu falcem supponit aristis  
Incertus quæ primus agat vel agenda relinquat.  
Talia mente movens, gratam capit arboris umbram.  
Lumina somnus agit, lassos sopor occupat artus.  
Sol medium cœli conscenderat aureus orbem,  
Ecce Venus simul atq; Puer Deus æthere summo  
Descendens lassum curis terraq; jacentem  
Conspexit, juvenis defixit lumina formæ.  
Constitit: ingemuit, simul alta silentia rupit:  
Alme Cupido Puer, qui res hominumq; Deumq;  
Æternis regis imperiis & pectora pungis:  
Siccine jussa facis? data siccine fœdera servas?  
Siccine Venator cervis data retia tendis?  
Ocia mitte Puer: validis age viribus arcum  
Incurva, tendant tua spicula cæca jacentem.  
Dixerat: hic lætus Matris præcepta capessit,  
Corripuitq; arcumq; manu celeresq; sagittas,

Sauciat

Sauciat & cœco Mefforis vulnere pectus.

Hæc ubi facta leves fugiunt ceu fumus in auras.

Suscitat ex somno juvenem dolor, angit & urget

Prurit & urit amor, lateri lethalis arundo

Infixa impellit: proprios ut linqueret agros

Quæreret atq; viam, fanet qua Cuspidis ictum.

Ecce BUDISSINAM, Juvenem miserata Minerva

Adproperat variis Phœbi sanantibus herbis.

Nec mora nec requies, currit, dolor omnia vincit.

Quam dedit ire viam, pergit, Tritonia Pallas.

Mira cano dictam dum tendere cursibus urbem

Instat, in occursum se fœmina nobilis offert

Excipit hospitio læsum, sua tecta q; subter

Ducit amica manus, lymphis data vulnera siccant.

Et lavat atq; levat, favet & fovet, angit & ungit.

Docta parat proprio sumens de pectore philtrea,

Porrigit & lacrymis oculos suffusa mitentes

Alloquitur Juvenem, verbis ita farier infit:

Postulat urget amor quæ vulnera cæca, Cupido

Et Venus infixere tibi curare dolores.

Hæc tibi philtrea fero, confecta q; Pharmaca corde:

Dulce levamen erunt, miris quoq; fontibus æstum

Pharmaca restinguent, pellent medicamina morbum.

Dixerat: atq; manu pia pocula reddidit ægro.

Æger amantis amore labans data Pharmaca libat.

Ignea continuo philtreis contagia cessant.

Et fugit obducta vulnus cute ita arte levatum.

Sum tuus inquit amans: en suscipe fœmina dextram

Tu mihi sola places, cordis mea summa voluptas.

Sumq; tuus, maneamq; tuus, tuus ibo sub umbras.

Corda liquent, miro junguntur corpora fato

Ambobus mens una manet, manet una voluntas  
Corpora bina & idem suavi sub corpore pectus.

M E S S O R S P O N S E manes, justam tua SPONSA requirit  
Messam, quæ proprio tua pectora vulnere sanat.  
Illius ergo etiam (pietas hæc postulat ipsa)  
Vulnus Amice leves, proprio quoque corde dolores  
Tolle tuos mæstos. V O B I S sic una manebit  
Mens: & idem V E S T R O suavi sub corpore Pectus.

*Augustus Iustus Misenus consanguinit. ergo.*

**H**ÆC est alma DEI, qui temperat astra, voluntas,  
Vt casto nubat fœmina casta virò.

Et duo sic unum sint: unum velle duobus:

Hic benè quod factum iudicat, illa probet.

Quid vero! Tribus Anticyris sanabile gestat

Hic nè caput, verà num ratione viget.

Qui sibi dissimilem sociali federe jungit,

Fallere quæ novit, nescit amare virum.

Et verè insanit, talem qui diligit, atque

Ducit in uxorem, quam mala fama notat.

Quæ recubare solet fanum post putre Vacunæ

Et culpæ nota de meliore virum.

Sed novus hic Sponsus verè tollendus ad astra

Qui pietate parem ducit, amore parem.

Id fit & haud temerè voluit sic ipse IEHOVA

Omnia qui novit, cuncta que lege regit.

Vidit & hoc vestrum pacto cum federe factum:

Nec tamen invidit: Fautor id omne probat.

Copulat & mentes constante ligamine vestras:


Non illud livor solvet, & ulla dies.

Quin ergo DEUS his vestris conatibus ipse

Annuat, & Sponsis det bona fata novis.

*Vt sint felices, longè connubia durent,  
Vt videant Pylj secula longa senis.  
In Sponso vigeat IOHANNÉ ut gratia semper,  
Filia CHRISTINA hæc sit maneatq; DEI.  
Et sic non turbet lectum discordia discors,  
Nec vestram fugiet dulcis Hygèa domum.  
Dives erit thalamus: vestrum multaq; beabit  
Prole torum, Cypria dante favente DEA.*


*Georgius Wagnerus Bornâ-Mysius.*

onnubio vitæ nullum genus extat in orbe,  
Acceptum possit quod magis esse DEO.  
Vincula namq; DEUS junxit socialia lecti,  
Auxit honore torum prole fauore sacrum,  
Acheoja mero convertit pocula Baccho,  
Canaidum subiens dulcia rura DEUS  
Suppeditat Sponsis præstantia dona novellis,  
Atq; torum patriâ tornat & ornat ope.  
Dulce notat rursus nostro cum sanguine fædus,  
Quod pepigit veri vera Propago Patris  
Pignoris ergò memor thalami sis Sponse jugalis,  
Ante aram supplex cum dabit ipsa manum.  
Subsidium jungas, quia debile fæmina vas fit,  
Tharfiacus vates ceu pius ore canit.  
Sumta quod agnoscas proprijs ex ossibus ossa,  
Hæc caro carne tuâ demta redemta redit.  
Sed quia nil toto præstantius extat in orbe,  
Ac si cum castâ turture turtur agit:  
Vincula confirmant rostris socialia nexis,  
Ac eadem servant mutua jura tori.

Conquestus tristi tristes ex ore recurrant,  
Ex istis unus cum perit ante diem.  
Pessima conqueritur consortem sorte peremtum,  
Et subit æternum virginitatis onus.  
Tangite sic casti castissima lumina lecti  
Sit vobis lecto mens eademq; fides.  
Ingenio celerem Sponsam pietate celebrem,  
Accipias æquo fædere Nymphæ tuam.  
Nympha tuum teneas constanti pignus amore,  
Et promptas vires suggere mente pia.  
Vos licet aduerso fors obruat aspera casu,  
Atq; premat varijs cura severa modis.  
Pectora turbetis ne curâ, tollite curas,  
Suppliciter votis astra replete pijs.  
Quamvis in luctu luctâ res vestra vagatur,  
Qui premit is demit noxia fata simul.  
Conjugium sit confugium quia scilicet ordo  
Illius est, mundum qui regit atq; tegit.  
Lætitiâ jactate meras ad sidera voces,  
His faustis stat spes Palladis auxilijs.  
Gratulor ergo tibi deductâ Sponse maritâ,  
Cui favet ipsa Venus quam fovet ipse Deus.  
Aspice quam decorant suaves sine crimine mores  
Et sine fraude pudor cum pietate fides.  
Quis magis esse neget te terq; quaterq; beatum  
Sponse? quis hanc Sponsam cælitus esse neget?  
Vivite felicet plenis fortuna quadrigis,  
Annuat & faciat crescere prole torum.

*Jacobus Prescherus Lommatianus Scholæ Zittanæ alumnus.*

*O quam*

 *Quam cura benigna Regis almi  
Patris consilium bonum supremi,  
Fædus quod thalami pium jugalis  
Firmavit: Duo carne sint ut una  
Conjuncti, separarier nec unquam  
Possint, jura sed alma firma servant.*

*Vt lascivia sordida petulca  
Vitetur Veneris, nigras paludis  
Immergens animas aquis profunda,  
Quâ peccans Sodomum jacet peremta  
Et quâ Grajugena jacent peremti:  
Penas Dextra DEI reposcit istas.*

*Vt mens Casta D E U S sedens in altis  
Agnoscat, & ut pio sacrati  
Ipsius veneranda jussa legis  
Castis mentibus hauriamus alma:  
Vt castum quoq; colligatur agmen  
Servans sacra DEI statuta verbi.*

*Ergo jussa secutus alma vocis  
Dix, Sponse petis marita castè  
Casti jura tori. DEI benignè  
Sit prestò benedictione largâ  
Clemens dextra, precor, torum jugalem  
Permulta cumuletq; prole, (fiat.)*

*Vivas Sponse diu, senis peractum  
Vivas Nestoris ævum amore cepto.  
Vivas Sponsa, diuq; alumna casta  
Cum eos peragas dies amore.  
Hinc cedant Laribus novis proterva  
Vestris jurgia, pax regat quieta.*

*Johannes Widber Sittanus.*

Non

ZA 2600 OK  
**N**on loquor expertus, fas sit mihi visa referre :  
Conjugium summum, creditur, esse bonum,  
Dignius haud quicquam, nil suavius obtinet orbis  
Lætius haud quicquam, constat in orbe toro.

Illius ipse DEUS vinculis pia vincula finxit.

Credite : nil unquam dignius esse potest.

Pignora conjugii sancti sunt semina cætus

Credite : nil unquam suavius esse potest.

Costa cum casta traducere tempora vitæ

Credite ; nil unquam suavius esse potest.

Ast ego quid multis mihi postulo credere, quisq̃

Expertus testis gaudet adesse mihi.

Munera si spectes : tibi splendida munera spondet

Conjugium casto munera nata toro.

Conjugium tibi confugium est, simul ançora Sponse

Fessis est membris Sponsa petita quies.

Ergo tuo fugiant ut tristia pectore, SPONSE:

Ecce datur summum, Fœmina casta, bonum.

Scilicet ipse tori casti vos fautor & autor

Conservet, firmet, vincula casta tori.

Turture sit turtur sit amore columba columbæ

Juncta : sit & felix conjuge nupta pio.

Det DEUS ut lætas ostendat pampinus uvas

MESSORI ut largè credita reddat ager.

*Elias Schönfeldt, Georgivald.*





QR. 340 12

Decorative border of repeating floral motifs

EPITHAL

*Scripta & d*

SACRIS NVP

ORNAT

VIRI JUVENIS,

SCHNIT

SPON

&

*Castissima & Honesti*

CHRIST

*Prudentissimi atq; I*

DN. HIERONYMI W

*& Senat: apud Budis:*

*vidua: Sponsorum*

AD

XXIX. Diem Ju

a

Schola Zittana



BUDIS

*Excudebat Nico*

160

Decorative border of repeating floral motifs

